EUSEBIUS CAESARIENSIS
Österreich, 2. Hälfte 12. Jh. Seite 171v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26122
Copyright: Admont, Benediktinerstift



dibile memoratu est. quantum religiosi imperatoris studio adoleuerit. quantaque eius cura etiam erga sumptum indigentium fuerit. Ardens namque in fide dei animus. et benignum ingenium atque clemens bonis operibus pascebatur. Intantum uero presentium rerum bonitas et tranquillitas obtinebat. ut obliuionem preteritorum pareret malorum. Cdictis namque frequentibus per omnem locum propositis. non solum tyrannicas ad usum christianos depulerat leges. iusque ciuile reddidit. uerum et priuilegia plurima ecclesiis. ac summos honores sacerdotibus detulit. Ita deo atque hominibus carus. summam romani regni cum religione pura. tum etiam uirtute animi ac moderatione. super omnes qui prius fuerant procurabat. Finit liber. viiii. Eusebii Cesariensis Ecclesiastice Hystorie.

Huc usque nobis Eusebius rerum in ecclesia gestarum memoriam tradidit. cetera uero que usque ad presens tempus per ordinem subsecuta sunt. que uel in maiorum litteris reperimus. uel nostra memoria adtigit. patris religiosi preceptis et in hoc parentes quam poterimus breuiter addemus. Hec etiam decimo libro Ecclesiastice hystorie continentur.

i. De arrii herese. ii. De concilio apud niceam congregato. iii. De conuersione phylosophi dialectici. iiii. De pafnutio confessore. v. De spiridione episcopo et mirabilibus eius. vi. Exemplum fidei nicene et statutorum eius. vii. De helena constantini matre. viii. De cruce saluatoris in ierosolymis ab helena reperta. viiii. De captiuitate frumenti et edesii. x. De conuersione indorum per ipsos gesta. xi. De conuersione gentis hyberorum per captiuam facta. xii. De constantia sorore constantini et presbitero per eam fratri insinuata.